



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Christ. Francisci Paullini, Ferrariâ-Thuringi, Rerum Et
Antiquitatum Germanicarum Syntagma**

Paullini, Christian Franz

Francofvrti ad Moenvm, 1698

III.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44860



II.

Obssequium atque fidem Patriæ debemus: amorem
illa sed: hæc fausta vincla salutis erunt.
Obssequii pignus: fidei pia tessera sanctæ,
hæc, reor, augustum & suave volumen erit.
Plus ultrâ quid vis? Ferrara, quid amplius urges?
omne dedit, qui Te, seque, suosque dedit.

Misit è sancto monte

DAVID MICH. BOLLING. LL.D.

III.

Dic mihi, cur nostris minor est reverentia Doctis?
cur non in tanto sunt pretio, ut Veteres?
Altera causa (notes!) est ignorantia recti,
altera livor erit: † crimen utrumque malum.
Quàm pauci nôrunt, quid distent æra lupinis,
suavius an corvus, seu philomela canat?
Solâ doctrinâ & purâ virtute probamus
splendentem multâ nobilitate Virum.
Cetera sunt larvæ, fatuæ spectamina plebis,
judicio pendent quæ levioere tuo.

Invi-


† Vid. Berneggeri quæst. ex Tacit. num. 168.

Invidiam verò qui declinare studebit,
 haud bonus, at rudis est. Sunt tria signa Viri:
Livor iners, odium vulgi, callumnia; multis
 qui placet, is doctis haud placuisse potest.
 Qui norunt & amant *rectum*, sine felle loquuntur;
 queis *oculi* in capite, & *candor* in ore sedet.
 Omnes hi laudant illustre, & ad ardua natum
 ingenium, & chartas tot sine labe tuas.
 Phosphorus è tenebris tibi nascitur, exque vetustis
 quisquiliis surgit gloria rara Tibi.
 Tu das *obscuris* lucem, *priscisque* nitorem,
 abs Te splendorem *mucida* quæque trahunt.
Grammaticus bonus es: tua quàm *Syntaxis* amena,
præteritum, præsens, atque *futura* simul
 Scisse, brevi methodo sincerè aliosque docere;
 quis *Doctor*, si non ritè *docere* potest?
 Aut doceas, *Doctor*, seu perdas nomen inane,
Doctor es, at quem, non *docte*, docere potes?
 Sed quid vana loquor? mucosa quid ulcera tango?
Doctum Doctorem hîc pagina quæque probat.
 Ecce tuæ prolis studium, *Ferraria*, nomen,
 & longam vitam scribit in ære tuam.
 Omnia sunt parvo comprènsa volumine, templa,
 Relligio, leges, fataque, bella, scholæ.
 Ortus & occasus *Comitum* [venerare] Tuorum,
 & fortuna *Ducum*, quam reverenter habe.

ANNA

*** 21

Sic



Sic varios casus & tot discrimina rerum
hicce liber tibi per secula multa dabit.
Sit *manuale* tuum, cui tutò fidere possis,
sic Tibi cottidie lectio lecta placet.
Servet Te divina Salus, fidissime Amice!
Vive Deo & mundo! vive Tibi atque Tuis!
Cetera quando dabis? non nescit doctior Orbis,
in pluteis quòd adhuc splendida scripta cubent.
Ex *orco in lucem!* nã sic celeberrimus *Almæ*
Teutoniae Historicus, sic *Polyhistor* eris.

Officiosâ manu scripsit
ANDREAS SARFELD, D.



ANNA-